

1129
170.

sivis applicant, ut insoliti effectus inde oriuntur, qui mirabiles dici solent, cum homines non satis asseque possint eorum productionem, miracula tamen non sunt, quia fiunt ab agentibus naturalibus.

§. 71. De sagis disputari solet, an verè de loco in locum transportentur à Diabolo; an vero per præstigias Diabolicas vis imaginativa sagarum immutetur, ut videantur sibi transferri ad campos aut locos, in quibus cum aliis conveniunt, quamvis reipsa domi in lecto suo sint maneantque. Sanè uterque modus possibilis est, & probabile est, interdum sagarum phantasiam immutari, ut putent se ad communem sagarum locum verè translatos esse. Quod autem interdum verè transferantur, probabile reddunt variis casis, quibus extra domum suam Sagis varia obvenisse incommoda, vulnera & alias mutationes passim historiæ memorant. Quicquid tandem sit, sive verè transportentur, sive per præstigias Diabolicas se transportari existiment, reipsa tamen casu in utroque Diabolo serviunt, eique datâ operâ servientes peccantesque morte dignæ sunt. Et quia incertum est, verene transportentur ad congregaciones aliarum Sagarum, an per præstigias Diabolicas sibi videantur transferri, illorum testimonio, quando in conventiculis suis alias mulieres se vidisse, easque esse sagas testantur, nihil vel parum tribuendum est. Si enim non transferantur verè, sed videntur sibi transferri per præstigias Diabolicas tunc planè nihil tribuendum est ipsorum testimonio; sicut enim Diabolus mendax est & Pater Mendacii, ita periculum maximum est, ne sagarum facultati imaginativæ objiciat species mulierum, quæ sagæ non sunt, & videantur sibi videre mulieres in sagarum numerô, quas non vident. Si auten verè transportentur ad locum conventus, tunc fieri facile potest, ut Diabolus ibi etiam turbet illarum fantasias

K

&